

Kazimierz Karłowski

Notio metus iniuste incussi in re matrimoniali iuxta recentissimas decisiones Sacrae Romanae Rotae

Collectanea Theologica 18/1-2, 363-374

1937

Artykuł został zdigitalizowany i opracowany do udostępnienia w internecie przez Muzeum Historii Polski w ramach prac podejmowanych na rzecz zapewnienia otwartego, powszechnego i trwałego dostępu do polskiego dorobku naukowego i kulturalnego. Artykuł jest umieszczony w kolekcji cyfrowej bazhum.muzhp.pl, gromadzącej zawartość polskich czasopism humanistycznych i społecznych.

Tekst jest udostępniony do wykorzystania w ramach dozwolonego użytku.

NOTIO METUS INIUSTE INCUSSI IN RE MATRIMONIALI IUXTA RECENTISSIMAS DECISIONES SACRAE ROMANAE ROTAE.

Codex Iuris Canonici in universa materia iuris matrimonialis multas necnon notabiles mutationes causavit, imo omnino novas dedit ordinationes, quae usquehuc mentem canonistarum occupant. Una ex permultis quaestionibus, quae ex parte novam recepit ordinationem, est titulus defectus consensus matrimonialis: vis et metus (can. 1087). In relatione ad ius antiquum nunc omnino aliter concipitur motivum inferendi metum valorem matrimonii irritantem. Nova proinde est norma quae sequentibus verbis exprimitur: „a quo ut quis se liberet, eligere cogatur matrimonium“ (can. 1087 § 1). Hoc modo Codex Iuris Canonici celeberrimam controversiam quoad motivum inferendi metum irritantem consensum matrimonialem ad finem perduxit; disputabatur nempe, utrum consensus matrimonialis invalidus esset solummodo in hoc casu, quando metus incutiebatur in hunc finem, ut metum patiens ad contrahendum matrimonium cogeretur, an etiam tunc quando ex alia quidem ratione metus incutiebatur, dummodo is, qui metum passus est, reipsa contraheret, ut ab iniuria sibi imminente se liberaret. Nunc ex dispositione novi Codicis supra allata certum est alteram hypotheses sufficere ad irritandum consensum matrimonialem. Magnopere autem mirum est, etiam post editionem novi Codicis dictam controversiam canonistarum non disparuisse. Dubitari autem non potest, quin sententia S. Rotae Romanae de die 5. Decembris 1933 a., quae prima vice ad novam normam iuris applicandam devenit, ad stabiliendam opinionem canonistarum quoad hanc quaestionem certissime multum conferrat¹⁾.

¹⁾ J. Hollnsteiner. Die Spruchpraxis der S. Romana Rota in Ehenichtigkeitsprozessen seit Geltung der C. J. C., Freiburg in B. 1934 s. 86. n.

Etiam sub alio respectu a novo Codice norma iuris, influxum metus in contractum matrimonialem statuens, aliquatenus immutata est. Dicendum quidem hanc mutationem non habere tantam gravitatem ac supra dicta innovatio, nihilominus et ipsam certi valoris non esse orbatam. Codex nempe loco antiqui termini: metus iniustus nunc adhibet verbum: metus iniuste incussus²⁾. Recte animadvertit Cappello³⁾, non esse dubitandum, quin legislator consulto usus sit adverbio „iniuste“, loco adiectivi „iniustus“. Legislator enim exprimere intendebat invalidum esse consensum matrimonialem non tunc tantum, quando metus quoad obiectum iniustus est, sed etiam tunc quando quoad modum, secundum quem illatus fuit, iniuriam continet. Hoc modo Codex Iur. Can. aliquatenus normam antiquam reformavit et etiam aliquam extensionem eius causavit.

Explanatio autem notionis metus iniuste incussi apud canonistas non eadem est; hoc praeprimis novitati quaestionis post editum Codicem exortae attribuendum est. In antiquioribus sententiis Rotae Romanae talem explanationem dictae notionis metus non invenimus, quae terminos notionis in specie affert. In his sententiis tantummodo in genere statuitur metum irritantem matrimonium praeter alias proprietates in cap. 13 et 14 Lib. IV. Decret. allatas etiam hanc habere debere, ut sit iniustus. Insuper animadvertere liquet, solummodo hunc metum consideratum fuisse qua validitati matrimonii oppositum, qui quoad substantiam iniustus fuit; metus autem iniustus quoad modum, non considerabatur sufficiens ad frustrandum validum contractum matrimonialem⁴⁾. Inter autores antiquiores huic sententiae praepriis favebant d'Annibale⁵⁾ necnon Gasparri, in suo tractatu de iure matrimoniali, iam ante promulgationem Codicis Iur. Can. edito, de dicta quaestione sequenti modo scribens⁶⁾: „Nec metus iniustus quoad modum tantum probabilius matrimonium irritat; quia secundum rei veritatem, quam canones spectant, iustus

²⁾ Can. 1087 § 1.

³⁾ Tractatus Canonico Moralis de Sacramentis. Vol. VII. De matrimonio, Roma 1933 nr. 606.

⁴⁾ Decisiones Rotae, vol. IV. dec. XI. nr. 2. p. 125 (coram Cattani Amadori); vol. IX. dec. V. nr. 2. p. 39 (coram Rossetti).

⁵⁾ Summ. Theol. Moral., pars. III. n. 445.

⁶⁾ Tract. can. de Matrimonio, Paris 1892 nr. 820.

est“. Nihilominus iam tempore editionem novi Codicis Iur. Can. antecedente, haec sententia fuit derelicta; adsunt enim non paucae sententiae Rotae Romanae, quae eodem modo de nostra quaestione ac ipse Codex Iur. Can. iudicant⁷⁾. Hoc non obstante adhuc sententiam post promulgationem novi Codicis editam habemus, in qua quaestio nostra tamquam inter canonistas disputata profertur⁸⁾. Codex Iur. Can. autem quaestionem hanc per textum can. 1087 § 1 autoritative sancivit ad antiquam opinionem accedens, quae antea a celeberrimo canonista Wernz⁹⁾ representabatur. Non enim distinguens aliquas species metus iniuste incussi novus Codex Iur. Can. simpliciter adhibet vocem „iniuste“; propterea secundum notissimum axioma iuridicum: ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus, utraque species metus iniuste incussi (sc. tum quoad substantiam tum quoad modum) qua irritans consensum matrimonialem considerari videtur¹⁰⁾. In sequentibus innixi gravissimis sententiis Sacrae Romanae Rotae, quae nostram quaestionem modo accuratiore et magis distincto explanant, notionem metus et quoad substantiam et quoad modum iniuste incussi explicare intendimus.

Inter sententias a Romana Rota editas, quae notionem metus iniuste incussi explanant, propter accuratas dilucubrationes in hac connexionе institutas, maxime mentionem merentur duae sequentes sententiae: 1) d. d. 8. Iulii 1919 nr. 5, coram J. Prior¹¹⁾, 2) d. d. 13. Augusti 1924 coram F. Parillo¹²⁾. Insistentes in dilucidatione nostrae quaestionis in textibus sententiarum Romanae Rotae, necessario prae oculis sequentem habere debemus rationem; methodus iuridicae, nempe in peculiari sententia rotali aliquam quaestionem iuridicam in tantum explanari, in quantum in casu speciali meritum rei hoc expostulat, ideo explanationes

⁷⁾ Dec. Rot. vol. VII. dec. XV. nr. 2. p. 152 (coram A. Sincero) vol. VII. dec. XXIII nr. 2. p. 244 (coram Cattani Amadori), vol. VIII dec. XX nr. 17. p. 226 (coram Cattani Amadori).

⁸⁾ Dec. Rot. vol. XIV. dec. IX. nr. 2 p. 79 (coram M. Massimi).

⁹⁾ F. Jus Decretalium, Prati 1911 vol. IV. nr. 265.

¹⁰⁾ Dec. Rot. vol. XIX. dec. XXV nr. 3. p. 201 (coram I. Grazioli). — Cappello, l. c. nr. 606; F. Trieb s, Praktisches Handbuch des geltenden Kanonischen Eherechts in Vergleichung mit dem deutschen staatlichen Ehe-recht. III. Teil. Breslau 1929 § 62 nr. 11 p. 508.

¹¹⁾ Dec. Rot. vol. XI. dec. XIII. nr. 5. p. 122.

¹²⁾ L. c. vol. XVI. dec. XL nr. 4. p. 369.

nostrae quaestionis in peculiari sententia factae non necessario totam elucubrationem quaestionis continere debere¹³⁾.

Prima e supra citatis sententiis d. d. 8. VII. 1919 a. ex hac praeprimis ratione magnopere ad solvendam nostram quaestionem confert, quia modo satis distincto notionem metus iniuste incussi affert, insuper divisionem retinens in metum iniuste incussum quoad substantiam et quoad modum. Ob magnum valorem relativi textus fas nobis esto hic ipsum citare: „Aegistus actori metum incutiendo iniuste egit et quoad substantiam et quoad modum: quoad substantiam quidem, quia matrimonium, poena comminata, exclusive imposuit, contra ius actoris aliud reparationis medium eligendi nempe defloratam dotando; et insuper quia poena mortis ab ipso comminata longe maior erat quae pro iniuria illata iure imponi poterat. Quoad modum, iniustus erat metus incussus, quia mortis poena sine legis ministerio, i. e. sine iudice competente, sine inquisitione iudiciali, sine legitima rei damnatione, privati civis propria manu inferenda erat“¹⁴⁾.

I. E citato textu sequitur: divisionem metus iniuste incussi quoad substantiam et quoad modum etiam post promulgationem novi Codicis a Tribunali Rotae Romanae receptam esse. Animadvertendum autem est, nonnullos recentiores autores¹⁵⁾ necnon nonnullas sententias Rotae Romanae e temporibus novissimis¹⁶⁾ divisione hac non uti.

Quoad ipsam vero notionem metus iniuste incussi tum quoad substantiam tum quoad modum, e supra citato textu sententiae rotalis sequitur: metum quod substantiam iniuste incuti, si hoc modo fuit incussus, ut a persona coacta exclusive matrimonium exoptuletur, non relinquendo ei possibilitatem

¹³⁾ Sub hoc respectu invenimus animadversionem in sententia d. d. 11. III. 1912 (coram F. Cattani) vol. IV. dec. VI. nr. 2 p. 125, nempe: „...attamen abs re non erit, hic summatim ea recolere quae ad causam nostram praecipue faciunt, et ad eiusdem resolutionem veluti manducare possunt“.

¹⁴⁾ Dec. Rot. vol. XI. dec. XIII. nr. 5. p. 124. — Cfr. etiam vol. XIX. dec. XXV nr. 3. p. 201.

¹⁵⁾ E. gr. J. Chelodi, Ius Matrim. nr. 119, Th. Vlaming, Praelectiones Iuris Matrim. vol. II. nr. 539 c.

¹⁶⁾ E. gr. Dec. Rot. vol. XVI. dec. XL. nr. 4. (d. d. 13. VIII. 1924 cor. F. Parillo), vol. XVII dec. IX. nr. 5. (d. d. 11. II. 1925 cor. A. Jullien) vol. XIX. dec. VIII. nr. 2 p. 58.

alio modo reparandi iniuriam alteri parti sc. mulieri per fornicationem illatam, i. e. dotando ipsam. Secundo, textus citatae sententiae statuit, metum esse iniuste incussum et quidem etiam quoad substantiam, si personae coactae pro illata ab ipsa iniuria poena longe maior comminatur, — in hoc casu poena mortis, — quam ius admittit. Praeterea textus citatae sententiae rationem iniuste incutiendi metum quoad modum affert; et quidem hoc tunc accidit, quando poena, — in hoc casu poena mortis, — privata auctoritate sine interventu iudicis competentis imponitur.

Prima superius allata norma clare indicans, quomodo metus iniuste quoad substantiam incutitur, casuistice prolata est, sc. in relatione ad casum, apud Tribunal Rotae Romanae in concreto cognoscendum. Quaestio facti in hoc casu in iniuria mulieri a viro stupratore illata consistebat. Propterea in hac connectione dicta sententia rotalis obligationem viri stupratoris reparandi iniuriam mulieri illatam dilucidat; quo facto et obligatione accurate statuta, sententia rotalis ad conclusionem devenit, quae superius allata est. Ad melius rationem dictae normae cognoscendam breviter nunc inspiciendae sunt elucubrationes citatae sententiae, quae obligationem viri stupratoris explicant.

Relativum textum eiusdem sententiae rotalis hic afferimus ob magnam eius auctoritatem: „Sub antiqua lege Mosaica statutum fuit (Exod. cap. 22, v. 16): „si seduxerit quis virginem necdum desponsatam et dormierit cum ea, dotabit eam et habebit eam uxorem“. Haec duplex reparatio copulative sumpta, dotatio et matrimonium in ius ecclesiasticum translata fuit cap. I. tit. 16 de adulterio et stupro... Quamvis auctores disputare pergebant de quaestione, an copulative vel disiunctive intelligenda esset reparatio praedicta, praxis Ecclesiae eiusque iurisprudentia in decisionibus S. R. Rotae praesertim manifestata, optionem concessit aut ducendi aut dotandi virginem defloratam¹⁷⁾. Exinde in textu sententiae rotalis statuitur non esse iustitiae conformem expostulationem mulieris, quae stuprum passa est, ut iniuria ipsi illata exclusive per matrimonium contrahendum reparetur. Metus in hunc finem incussus iniustus est quoad substantiam, quia vir metum passus exclusivam obligationem non habet reparandi iniuriam matrimonium contrahendo;

¹⁷⁾ Dec Rot. vol. XI. dec. XIII. nr. 5. p. 122. — Cfr. etiam vol. XIX. dec. XXV nr. 3 p. 201.

potest nempe adhuc alium eligere modum ad iniuriam reparandam sc. mulierem dotando. Secundum nunc vigentes normas iuris ecclesiastici ex delicto stupri in commodum partis laesae obligatio alternativa oritur: duc aut dota. Si ergo pars, quae iniuriam passa est, stupratorem ad iniuriam reparandam cogere vellet imponendo ei exclusivam obligationem contrahendi matrimonium, obligationem ab eo expostularet quam reipsa non habet. Hoc modo norma in citata sententia rotali allata reduci potest ad normam magis generalem et primariam sc.: metus iniuste incutitur quoad substantiam, quando persona metum patiens non habet obligationem matrimonium contrahendi; eo ipso autem iniustus est metus quando persona metum incutiens non habet, ius matrimonium exigendi.

Prout supra iam statutum fuit, obligatio reparandi iniuriam ex delicto stupri oritur alternative sc. vel contrahendi vel dotandi. Nonnulli canonistae obligationem hanc accuratius determinant et statuunt ipsam tunc demum oriri posse, si mulier revera virgo erat honesta et si vera seductio locum habuit. Seductio hic concipitur qua influxus moralis in mentem mulieris illatus et quidem in hunc finem, ut ad consummationem fornicationis alliciatur;] delictum hoc deflorationem virginis causare debet; tunc demum habetur verum stuprum; ad simplicem fornicationem accedit hic iniuria mulieri illata per seductionem¹⁸⁾.

Potest ergo obligatio contrahendi matrimonium et ex altera parte ius matrimonium expostulandi oriri ex delicto commisso, sed tantum eo modo prout supra diximus. Adest autem adhuc alius titulus ad dictam obligationem efformandam; obligatio haec etiam oriri potest ex contractu, si praecesserit promissio matrimonii¹⁹⁾. Tum sponsus tum sponsa aequali modo invicem obligationem sibi parant contrahendi matrimonium, si validam promissionem matrimonii sibi dederunt.

Adhuc fieri potest aliqua combinatio utriusque tituli statuentis obligationem ineundi nuptias. Quae combinatio tunc locum habet, si v. gr. sponsus seducit sponsam ad copulam carnalem,

¹⁸⁾ F. Trieb's, l. c. p. 506.

¹⁹⁾ Cfr. Dec. Rot. vol. XV. dec. XXXIII nr. 2. p. 295; vol. XVII dec. XXVIII nr. 4. p. 200: „Hinc qui, initis sponsalibus, matrimonium aegere contrahat ob comminationem damnorum quae fidei fractionem iuste sequi solent, valide contrahit, quia metus ille non est iniuste incussus“.

sponsa autem virgo erat honesta. Tali in casu non oritur pro sponso obligatio alternativa: duc aut dota, sed propter promissionem alteri parti datam sc. contrahendi cum ipsa matrimonium, oritur obligatio exclusiva ineundi nuptias cum sponsa²⁰⁾. Supra citata sententia rotalis sequentibus verbis hoc exprimit: „At optio non datur dotandi, si vir mulierem defloraverit cum promissione matrimonii, sed illam ducere debet ratione contractus innominati „do ut des, facio et facias“ (v. Gasparri, vol. I, n. 98 ed. 1904), nisi gravi quadam causa, v. gr. odio inter sponso, timore mali exitus, etc... ab obligatione eximatur“. — Insuper dicendum nec dari optionem dotandi si deflorator media non habeat, quibus puellam dotet²¹⁾. Obligatio autem, de qua sermo est, non oritur sine ulla limitatione. Nam possunt adesse circumstantiae, in quibus matrimonium pro una vel pro utraque parte causa gravis mali esse potest; tunc dicta obligatio cessat.

Nulla exinde existente titulo, ex quo obligatio ineundi nuptias oriri potest, metus ad extorquendum matrimonium excusatus²²⁾ iniuste quoad substantiam incutitur, vel quod idem est, ut a nonnullis canonistis dicitur, iniustus est: quoad obiectum, quoad causam; non adest enim iusta causa, ut metus incuti possit²²⁾. Tali modo sententia Romanae Rotae d. d. 22. VII. 1916 loquitur: Metus „iustus dicitur, cum infertur ex iusta causa, ...iniustus, cum infertur... ex causa iniusta (iniustus quoad substantiam)“...²³⁾. In casu ergo, de quo est sermo, metus incutitur ad aliquem actum explendum, quem metum patiens non habet obligationem perficere. Si itaque in aliquo casu metus alicui inculteretur per comminationem denuntiationis coram iudice ob aliqua crimina revera commissa, quae autem nullam relationem cum expostulato matrimonio habent, metus iniuste quoad substantiam esset incussus, quodsi metum patiens nullam haberet obligationem hoc matrimonium contrahendi, sive quia promissionem ineundi nuptias nunquam dedit, sive quia delictum stupri

²⁰⁾ F. Triebbs, l. c. p. 506.

²¹⁾ Dec. Rot. vol. XI. dec. XIII. nr. 5. p. 123. — Vol. XIX. dec. XXV. nr. 3. p. 201. Ex parte defloratoris cessat quaevis obligatio, quoties de duella agatur, quae iam ut non amplius honesta vulgo habetur. l. c. nr. 10 p. 205.

²²⁾ Dec. Rot. vol. XIX. dec. VIII nr. 2 p. 58. F. Triebbs, l. c. p. 505.

²³⁾ Dec. Rot. vol. VIII. dec. XX. nr. 17. p. 226 (cor. F. Cattani Amadori). — vol. XIX. dec. VIII. nr. 2. p. 58.

non commisit; quibus in casibus obligatio tantum alternativa esset, ut supra iam diximus²⁴⁾.

Ad superius statutam normam principalem sc.: metum iniuste quoad substantiam incuti, si metum patiens ex nullo titulo iuridico obligationem contrahendi matrimonium habet, reduci etiam potest norma, quae aliquoties in sententiis Rotae Romanae sequenti modo exprimitur: „Iniustus vero metus dicitur, si timeatur malum indebitum. Cum autem fieri possit, ut malum nullo modo debetur, vel... distinguitur metus quoad substantiam iniustus a metu...“²⁵⁾. Tali in casu — a sententia rotali allato — comminatur aliquod malum, quod nullo modo in obiectiva rei veritate iustam rationem habet. Citata sententia rotalis dictam normam ad sequentem casum in concreto applicat: mulier A. Seducit ad copulam carnalem virum B., et non obstante aversione viri erga illam cogit ipsum ad nuptias, comminando suicidium necnon divulgationem sui criminis per litteras, in quibus qua causam moralem sui criminis virum B. indicaret insuper addendo: hac de causa gravem diffamationem necnon ultionem fratrum probabiliter secuturam esse. Matrimonium sub hac coactione contractum a Rota Romana per dictam sententiam invalidum declaratum est; grave malum enim — in hoc casu diffamatio nec non ultio fratrum mulieris — nullomodo iustum erat, nam omni fundamento carebat. Coactus B. enim nec matrimonii promissionem dedit mulieri A., nec stupri erat reus; exinde ut dicta sententia rotalis dicit: „nulla obligatione erga eam tenebatur“²⁶⁾. Hoc modo patet malum tunc nullo modo deberi, prout in sententia citata dicitur, si metum patiens nullam obligationem iuridicam habuit ad contrahendum matrimonium. Ideo etiam haec norma ultimo reducitur ad superius allatam normam principalem²⁷⁾.

²⁴⁾ Exemplum affert A. Knecht, Handbuch d. Kath. Eherechts, Freiburg 1928 s. 571: „Ungültig ist deshalb z. B. die Ehe, die jemand, der einen Diebstahl begangen hat, eingeht, weil ihm ein anderer der von jenem Diebstahl sichere Kunde hat, nur die Wahl frei lässt, entweder seine Tochter zu ehelichen oder eine gerichtliche Anzeige zu gewärtigen“.

²⁵⁾ Dec. Rot. vol. XIV, dec. IX, nr. 2, p. 79 (cor. M. Massimi) vol. X, dec. II, nr. 6, p. 15 (cor. G. Sebastianelli).

²⁶⁾ L. c. p. 82.

²⁷⁾ Hoc modo intelligi debet norma etiam a nonnullis canonistis expressa v. gr. Gasparri, Tractatus can. de matrim. Roma 1932, vol. II,

Supra citata sententia Rotae Romanae d. d. 8. VII. 1919 a. adhuc alium indicat modum iniuste metum incutiendi quoad substantiam. Dilucidando enim quaestionem, quisnam ius habeat imponendi stupratori obligationem reparandi iniuriam mulieri illatam et urgendi hanc obligationem per impositionem congruae poenae, dicta sententia²⁸⁾ statuit, hoc ius exclusive competere iudici, facta inquisitione iudiciali et post condemnationem rei. Iudici, non autem personae privatae competit ius cogendi virum stupratorem: „aut duc, aut dota, vel ibis in carcerem“. Sed etiam potestas iudicis est limitata; sententia hoc modo loquitur: „Sed nec iudici fas est poenas substantialiter diversas ab illis, quae a lege determinantur et eisdem graviores decernere ex. gr. mortem comminando loco incarcerationis; iniuste nempe ageret, non quidem quoad modum, quia auctoritate competenti munitur, sed quoad substantiam, poenam decernendo ultra debitum criminis vel violati contractus“²⁹⁾, Excedendo ultra debitum in decernenda poena iudex ageret contra iustitiam. Metus qui tali modo incutitur a sententia rotali adnumeratur metui iniuste incusso quoad substantiam et hoc quidem ex ratione ab ipsa sententia allata. Apud canonistas autem nonnunquam hic modus agendi ex adverso ad metum iniuste incussum quoad modum adnumeratur v. gr. a Card. Gasparri³⁰⁾. Eodem vero modo ac nostra sententia rotalis etiam alia sententia Rotae Romanae de hac re iudicat, nempe d. d. 28. I. 1918³¹⁾, in qua expresse dicitur: „Metus dicitur iniustus... sive quoad substantiam... si delictum commissum est, sed illam poenam minime meretur“. Ex contextu sententiae sequitur, hic esse sermonem de imponenda poena nimis magna propter delictum commissum.

In connexione cum supra dilucidata norma principali, sententia Rotae Romanae d. d. 8. VII. 1919 etiam ex adverso i. e. modo positivo explicat, quonam modo pars iniuriam passa in stupratorem metum inferre possit ita, ut praecepta iustitiae non

nr. 854: „Metus est incussus iniuste quoad ipsam suam substantiam, quando pars malum, cuius timore compellitur ad nuptias, omnino non meretur; aliis verbis quando malum est undequaque iniustum“.

²⁸⁾ Dec. Rot. vol. XI, dec. XIII, nr. 5, p. 123 sq.

²⁹⁾ L. c. p. 124.

³⁰⁾ L. c. nr. 855.

³¹⁾ Dec. Rot. vol. X, dec. II, nr. 6, p. 15 (cor. G. Sebastianelli).

laederentur. Non repugnat iustitiae, si pars laesa obligationem reparandi iniuriam sibi illatam expostulare minando poenas a iure statutas et per competentem iudicem imponendas. Potest ergo mulier iniuriam passa, hoc modo virum cogere. „Aut duc, aut dota, vel coram iudice respondebis“³²⁾. Si autem persona privata poenam ultra modum a iure permissum v. gr. poenam mortis comminata fuerit, a seipsa sine interventu iudicis inferendam, metum iniuste incuteret, non solum quoad modum, quia nempe damnaretur reus sine iudice competenti, sed etiam quoad substantiam, quia poena gravior esset quam quoad crimen mereretur³³⁾.

II. Altera species metus iniuste incussi est metus quoad modum iniuste incussus. Supra allata sententia Rotae Romanae d. d. 8. VII. 1919³⁴⁾ sequentem dat explanationem: metus quoad modum iniuste est incussus, si malum, — in praeiacenti casu poena mortis, — sine legis ministerio i. e. sine interventu iudicis competentis, sed privata auctoritate infertur. Magis distinctam descriptionem huius speciei metus iniuste incussi in sententia rotali d. d. 28. I. 1918³⁵⁾ invenimus, ubi dicitur: „Metus dicitur iniustus... quoad modum, si malum quidem debetur sed non ab ea persona, aut non eo modo; v. g. agitur de poena inflictā a iudice incompetenti, aut non servato ordine iuris, licet delictum sit admissum et poena per se iusta“. Potest ergo in certo aliquo casu res ita se habere, ut metus quoad substantiam iuste incutiatur et nihilominus vera iniura personae coactae infligitur per modum indebitum ipsum incutiendi. Hoc tunc fieri potest, si adhibentur media ad cogendum, quae iustitiae opponuntur, et per haec media aliquis ad explendam suam obligationem cogitur³⁶⁾. Medium autem, quod iustitiae opponitur est praeprinīs interventus iudicis incompetentis, ut in citata sententia rotali legimus; deinde vero poena imposita „non servato ordine iuris“. Sub hoc altero respectu Card. Gasparri³⁷⁾ sequens affert exemplum: vir stupri reus est, sed secundum acta et probata innocens est dicendus; nihilominus iudex competens in eum sente-

³²⁾ Dec. Rot. vol. XI, dec. XIII, p. 124.

³³⁾ L. c. p. 124.

³⁴⁾ L. c. p. 124.

³⁵⁾ Dec. Rot. vol. X, dec. II, nr. 6, p. 15 (cor. G. Sebastianelli)

³⁶⁾ F. Triebs, l. c. p. 507.

³⁷⁾ L. c. vol. II, nr. 855.

tiam damnatoriam laturus est, nisi nuptias ineat cum muliere, quam ille reipsa ducit, ut sententiam declinet. „Hoc in casu, dicit Card. Gasparri, metus est incussus iniuste, quia iudex secundum acta et probata sententiam pronuntiare debet“³⁸⁾. Ideo ordo iuris non fuit servatus. — Prout iam supra dictum est, comminatio poenae a persona privata facta, non vero a iudice, laesio est iuris. Metus tali modo incussus iniuste incutitur quoad modum³⁹⁾. Ante promulgationem Codicis Iur. Can. metus iniuste incussus quoad modum, saepenumero ideo locum habuit, quia pars iniuram passa ipsa privata auctoritate debitam sibi reparationem iniuriae procurabat, cogendo partem delinquentem ad ineundas nuptias et quidem per comminationem poenae; ministerium vero iudicis competentis invocare non solebat. Secundum hodie vigentes leges canonicas actio ad petendam matrimonii celebrationem iam non admittitur (can. 1010 § 3). Etiam nunc secundum legis vigentis praescripta, ut patet, obligatio adimplendi promissionem nuptias ineundi urget; non potest vero actio institui ad illam obligationem executioni mandandam⁴⁰⁾.

In nonnullis sententiis Rotae Romanae e temporibus recentissimis et insimul apud non paucos canonistas⁴¹⁾ non invenimus divisionem in metum iniuste incussum quoad substantiam et quoad modum, quod vero et apud veteres canonistas accidit⁴²⁾.

³⁸⁾ L. c. nr. 855.

³⁹⁾ Dec. Rot. vol. XI, dec. XIII, nr. 5, p. 123 sq.

⁴⁰⁾ Cfr. F. Trieb s, l. c. — Dec. Rot. vol. XV, dec. XXXIII, nr. 2, p. 295 afferunt sententiam coram U. Manucci, in qua utraque species metus iniuste incussi sequenti modo describitur: „Iniuste autem incutitur metus tripliciter: a) quoad substantiam, si ipsum malum imminens sit aliquid illicitum, v. g. homicidium; b) quoad modum, sive ex parte patientis, si in casu matrimonium ab eo licite exigere nequit, sive c) ex parte inferentis, ubi fraude vel mendacio fingitur aliquod malum grave“. — Sed in sententia vol. XVI, dec. XIII, nr. 2, p. 100 etiam coram U. Manucci lata haec divisio derelicta fuit et succincte dicitur: „Iniuste autem incutitur... quoties metus tollit iustam libertatem consensus matrimonialis; nempe cum a) metum patiens non tenetur matrimonium in casu inire, et b) cum metum incutiens ius non habet malum comminatum inferendi“. Haec ultima divisio correspondet in praecedentibus elucubratae.

⁴¹⁾ F. Cappello l. c. nr. 606 ad 3, Th. Vlaming l. c. vol. II, p. 158, A. Knecht l. c. p. 570.

⁴²⁾ V. gr. Th. Sanchez, Disputationum de S. Matrimonii Sacramento Tomi Tres. Antverpiae 1617.

Afferuntur enim notiones metus iniuste incussi sine distinctione supra allata; de facto autem hae notiones in usitata distinctione metus iniuste incussi quoad substantiam et quoad modum comprehenduntur. Ita habemus sententiam d. d. 13. VII. 1924⁴³⁾, quae magis distincte ac aliae eiusmodi sententiae supradictam notionem affert. Relativum textum sententiae hic citamus, quia tanti valoris est sub dicto respectu: „Ex multorum opinione metus iniustus est, quando minitans non habet ius exsequendi quod minatur. Aliis metus iniustus est, quando metum inferens non habet ius exigendi ab illa persona matrimonium. Tandem, ex aliorum sententia, metus iniustus est, quando qui exigit nuptias non habet ius poscendi matrimonium, vel si habet non exigit tamen iuste seu non exigit per minas. quas iure exsequi potest, vel licet minas possit exsequi, ...non habet ius exigendi per illas minas matrimonium“⁴⁴⁾. Descriptus in textu sententiae modus metum iniuste inferendi ultimo ad duas reduci potest normas, quibus actio iniuriosa opponitur, et quidem: metum inferens nullum habet ius exigendi matrimonium; deinde autem, si hoc ius ipsi competit: adhibet media illicita ad matrimonium extorquendum. In utroque casu praecepta iustitiae laeduntur, ideo metus iniuste incutitur. Primus modus iniuste metum inferendi correspondet supra allatae speciei metus iniuste incussi quoad substantiam, secundus autem correspondet alteri speciei i. e. metui iniuste incusso quoad modum⁴⁵⁾.

Posnaniae

Casimirus Karłowski
Prof. Iur. Can.

⁴³⁾ Dec. Rot. vol. XVI, dec. XL, nr. 4, p. 369 (cor. Parillo).

⁴⁴⁾ L. c.

⁴⁵⁾ Similem descriptionem notionis invenimus in sententia d. d. 12. VII. 1922 coram J. Prior (Dec. Rot. vol. XIV, dec. XXIV, nr. 2, p. 230): metus „iniuste incussus: talisque erit quoties cumque vel metum patiens non habeat obligationem matrimonium tale ineundi, vel metum incutiens non habeat ius malum comminatum inferendi“. Vide etiam vol. XVI, dec. XIII, nr. 2, p. 100 ut supra.